



12



29. 3.
DE STVDIIS IN LYCEIS TRACTANDIS
breuis commentatio,
qua ad
ACTVM
ORATORIVM

de
STVDIIS HVMANITATIS,

a XVIII. iuuenibus
in Stephaneo Halberstadiensi

die 18. Decembris. MDCCXXXVIII.

horis matutinis instituendum

REVERENDISSIMOS, PERILLVSTRES atque
GRATIOSISSIMOS PATRONOS,

Reliquosque

MAECENATES, FAVTORES et CVLTORES
bonarum litterarum

quam submississime humanissimeque inuitant

EIVSDEM STEPHANEI
COLLEGAE.

HALBERSTADII, TYPIS FRIDERICIANIS.

ACTIVM
MOTIVM
AK





DE studiis in Lyceis tractandis adeo idem omnes non sentiunt, vt aliis studia quae ab humanitate nomen traxerunt minus probentur, alii de eorum contemptu acerbissimas dudum effuderint querelas. Nonnulli Theologiam, etsi non reiiciunt, iusto tamen minoris videntur aestimare. Sunt etiam, qui Philosophiam summo studio commendant, quam alii Lyceis procul iubent facescere.

Studia humanitatis in Lyceis maxima cura summaque diligentia esse excolenda, nemo, nisi qui omnem eruditionem e mundo tollendam esse putat, negabit; at vero eruditio Reipublicae tantum vtilitatis fructum praebet tantoque est emolumento, vt is iniustissimus rerum aestimator foret, qui auderet contendere, viris eruditis eam facile carere posse; ad eruditionem autem nemini licet aspirare, nisi in humanioribus certe mediocriter versatus sit; statuendum poti-

vs, eo feliciores in iis quae ad eruditionem spectant fieri progressus, quo maiori studio iuuenes artibus ad humanitatem sunt informati: Quare vnusquisque facile intelliget, quantum Reipublicae interfit, studiis, quorum mentio facta est, inuentutem quam curatissime impertiri.

Non ergo in latinis solum litteris exercenda sunt ingenia; Sed graecis quoque hebraicisque imbuantur oportet. Nec vnquam poenitebit, aliquid temporis sermoni Gallo- rum dedisse. Historiarum autem, Genealogiae, Chronologiae et Heraldicae in cognitione quo magis versati fuerint adolescentes, eo expeditiori via ad eruditionem contendent, eoque maiori aliquando patriae erunt emolumento.

Traduntur in Lyceis etiam Theologiae Logicesque praecepta: nec est, quod nobis persuadeamus, labore isto liberalium artium magistros recte posse supersedere; Quamuis enim omnes trahamur ad aliquam cognoscendi Dei cupiditatem; modum tamen illius reconciliandi fruendique non ex natura ipsa arripimus, sed discimus; ad illum non facti sumus, sed instituimur ac docemur.

Quumque homo improbus nec eruditus nec felix praedicari possit, etiamsi ingenio litterarumque scientia sit praestantissimus; nemo non videt, fidelis praeceptoris esse, iuuenibus, quos instituit, non modo capita fidei Christianae quam diligentissime inculcare, sed ad probitatem etiam tam priuatim quam publice eos allicere et adhortari.

Sunt praeterea in illis, qui Lycea frequentant, paene multi, qui non Theologiam sed aliud quoddam genus altiorum studiorum amplecti apud animum statuerunt. His non multo post in Academiam dimissis vel occasio vel cupiditas deest, Theologorum vtendi institutione: expertes ergo solidae cognitionis Theologicae si fuerint, ipsi in varia facile inci-

incident pericula, nec aliis fatis bene consulent. Eiusmodi enim homines fluctuant animo, dubitantes verane didicerint in Scholis nec ne? vtrumne retinenda sint an abiicienda? Haud raro veniunt in eam cogitationem: errare omnes, nec sciri posse, quid tandem in quaestionibus fidei tuendum quid fugiendum sit? Incredibile dictu est, quam proni ad indifferentissimum, quem vocant, ruant; quo imbutis eis perinde esse videtur, quam quis in rebus ad fidem Christianam pertinentibus sententiam mente foueat.

Nec mirum est, si illos modo huic modo illi Christi disciplinam profitentium parti, vnde nimirum spes maior consequendi alicuius commodi adfulget, fauere videas: audientes enim vel legentes Sophistarum fallacias, destituti armis, quibus ictus intentatos retundant, vincuntur, capiuntur, aguntur saepe praecipites.

Quid vero auxilii quidue consilii alii ab illis expectabunt, qui ipsi consilii expertes quo se vertant nesciunt?

Ponamus autem prauitate morum exuta ad emendatiorem eos traductos esse vitam: verendum tamen est ne variis iacentur periculis. Non deerunt, nostris maxime temporibus, qui fucum facientes blanditiis tuis eos inescare et in scyllam suam pellicere conabuntur. Vix fieri potest, vt omnia istorum hominum colloquia euitent, quorum verba prima specie videbuntur proba, incundissima et auro cariora: quod si vero aures illis patefecerint benignas, in praecipitium rapiuntur, vnde, verendum erit, ne grauissimo deturbentur lapsu, sero sentientes se esse deceptos.

In libros quoque incident, quorum argumentum mirum in modum probabitur, ex quibus incredibilem se capturos esse fructum sine vlla dubitatione sperabunt; quorum vero vsu in statum miserrimum coniciuntur, nisi aliqua cognitione Theologica fuerint muniti.

Quae quum ita sint, omnibus adparet, Theologiam in Lyceis non tradendam modo esse, sed etiam, quam curatissime fieri potest, inculcandam.

Sed et Logices tanta est vtilitas vt nec exulare a Lyceis nec leuiter negligenterque tractari debeat. Studia humanitatis maxima ex parte exercent memoriam, excitantque ingenium; acuenda autem est etiam vis illa iudicandi, quae praestantissima facultas intellectus iure suo dicenda est, vsque eo, vt grauissime peccaret, qui illam incultam relinquendam esse iudicaret. Logica autem in eo versatur, vt iudicii vires et exploret et adiuet et acuat. Quumque eius vsus non minus in ipsa Theologia reliquisque altioribus studiis, quam in excolenda humanitate sese exferat, iuuenes vero in Academiis, primis saltem mensibus, minus bene proficiant, si Logices plane rudes aduolent; illa quoque arte adolescentes in scholis imbuendos esse liquet.

Sed quaeret quis, ane ad iuuentutem fructus longe maiores ab omnibus partibus Philosophiae, si illis institueretur, redundaturus esset?

Qui secum animo perpendit, hominem genuinae Philosophiae imperitum neque se ipsum neque mundum cognoscere; qui ipse gustauit dulcedinem, qua Philosophia abundat; qui percepit fructus, quos, si caste pieque doceatur discaturque, reddit vberrimos, is miserabitur sane fortunam adolescentium, quibus per tot annos voluptate illa fructuque carendum est: contendet misericordia comotus a Philosophia humaniorum litterarum cultores arcendos non esse.

Nec fortasse quemquam haberet aduersarium, nisi ab omnibus concedendum esset, humaniora a iuuentute nullo modo esse negligenda: quorum amplitudo quum tanta sit, ut iuuenibus in illis arripiendis satis superque desudantibus nullum fere tempus vacuum relinquatur; quis non intelligit, perperam ac praepostere agi, si, posthabitis humanioribus

ribus, Philosophiae omne tempus impendatur? damnum enim adolescentulis infligitur, quod per totam vitam resarciri non potest. Satis autem mature suauitate ista Philosophiae fruuntur, quum nostra quidem aetate omnes fere ante vicesimum aetatis annum, nec pauci duodeuicesimo nondum expleto, in Academiam contendant.

Quod si vero cui contigerit, vt nanciscatur iuuenes, qui in linguis, quae hodie excoluntur, in arte Oratoria atque Poetica, in Historia, Geographia, Genealogia aliisque studiis quae ad humanitatem pertinent, optatos iam fecerunt progressus, recte et ordine fecerit, si eos in scientiis Philosophicis diligenter exercuerit, nec quisquam vitio id illi verteret.

Nec ille reprehendendus erit, qui non neglectis studiis humanitatis animos discipulorum scientiis iucundioribus recreare studet. Experientia enim docet iuuenes ita excitatos saepe alacriores ad consuetos labores redire. Huc vero pertinent Scientiae Mathematicae, studium Physices et alia, quorum dulcedine aequae ac vtilitate delectamur.

Ita tamen eiusmodi exercitia sunt instituenda, eoque semper enitendum, vt illud animo numquam non infixum haereat: rationem esse habendam studiorum humanitatis: quod et commodissime fieri potest, quamuis singulis diebus vna hora illis delectationibus impendatur; egregie enim inseruiunt mouendo corpori; quare iis horis possunt institui, quibus adolescentes animo recreando corporique exercendo vacare solent. A quo consilio duplex sperare licet commodum: discipuli enim non a multis modo parum honestis ludis retrahuntur, nullo rectae valetudinis detrimento, sed ea quoque ludentes addiscunt, quae scire eorum permagni interest, quorum vero arripiendorum in academiis plerumque adempta est facultas.

Sed

Sed quis non obiiciet, in Lyceis isthaec exercitia nullo modo institui posse; quum tantus numerus praeceptorum ibi non inueniatur, vt negotium illud sine magno incommodo sustinere possint, vnus vero, et publicis et priuatis laboribus exantlatis, pluribus negotiis minime par sit? quae omnia non sine certo fundamento opponuntur.

Accedit eo, quod etiam plerisque in Lyceis stipendia praeceptoribus adeo exigua constituta sunt, vt nec libros nec instrumenta, quibus opus foret, adquirere possint.

Ad reliquas partes Philosophiae quod attinet, prudens praeceptor, etsi ludum Philosophiae non aperit, tamen efficit, vt disciplinae suae alumni in illa nec hospites sint nec peregrini. Ipsa Theologia, auctoresque classici et quaecunq; superiorum ordinum discipulis proponuntur, occasionem quam saepissime praebebunt, ea quae illis prodesse possunt ex Philosophia petita explicandi.

Sed restant pauca de nostro Lyceo monenda. Nos modum istum instituendi iuuentutem, quem paucis attingere visum fuit, adhuc seruauius. Toti esse cupimus inculcanda Theologia et tradendis humanioribus, ita quidem vt etiam praecepta Logices explicemus: Saepius et Mathematicis Physicisque deliciis animos iuueniles imbuere studuimus, intelleximus etiam, labores istos non omni fructu fuisse destitutos. Vt vero disciplinae nostrae alumni, ad studia, quorum saepius mentio facta est, eo maiori ardore excolenda excitentur, iussimus illos bonae spei iuuenes, qui desiderium suum publice declamando sese exercendi nobis exposuerunt, oratiunculas de iisdem studiis elaborare, quas et crastina luce volente Deo recitabunt. Aget ergo.

I. Fri-

1. Frider. Christian. August. DELIVS , de com-
mendatione humaniorum , vernacula.
2. Joannes Georgius RIESE , de amplitudine
eorum , Latine.
3. Joann. Fridericus MEVSCHEN de vinculo
humaniorum litterarum, Germ.
4. Ludouicus Philippus ab HAGEN ostendet
studia humanitatis indigna non esse, quae a iuue-
nibus nobili genere natis excolantur. Sermone
Latino.
5. Christoph. Rudolph. LANGE verba faciet
de vsu studiorum humanitatis. Sermone Romano.
6. Joann. Frideric. GEORGI ager de humanio-
rum vi influente in mores. Sermone patrio.
7. Balthasar Christoph. HECHT laudes Poeseos
canet carmine Latino.
8. Frider. Christoph. STEPHANVS explicabit
fructum e multitudine Linguarum redeunte. Latine.
9. Frid. Will. ORTLEPIVS , Joann. Christ.
KRIEGER et Willh. Jacob. CREDIVS
colloquentur de ratione discendi humaniora.
Germanice.
10. Otto Ludouicus SANDHAGEN contendet
viros eruditos nostri aevi non cedere maiori-
bus nostris humaniorum doctrina. Latine.

B

II, Henr,

- II. Henr. Benedict. **OPPERMANN** aget de
παλιγγενεσία litterarum, vernacula.
12. Christoph. Gerhard. **THIELO** planget con-
 tentum Graecae linguae carmine Germanico.
13. Joann. Frideric. **GOETTLING**. Joann.
 Andr. **MVTHWILLE**, Henr. Bernhard
SCHOEPFER et Christoph. Frid. **MEHL-**
HARD instituent actum disputatorium,
 quo ostendetur, in humaniorum cognitione
 non consistere eruditionem.
14. Clamer Henr. Frider. **BIENROD**. Epilogum
 expediet, Germanice.

Hi ergo iuuenes quo certiozem spem adferunt, fore
 vt et nostrae et patriae expectationi aliquando satisfaci-
 ant, eo maiorem nobis addunt alacritatem, omnes, qui-
 bus ciuitas nostra floret, humanitatis Patronos atque
 Fautores ea qua par est submissione, obseruantia et hu-
 manitate rogandi, vt crastina luce ante horam nonam in
 auditorio nostro superiori praesentes adesse, oratores
 istos fauore suo excitare et ad omnia honestissima incen-
 dere ne grauentur.

Dab, Halberstadii d. 17. Decembris Anno M, D CC XXXVIII.

MUSIC

MUSIC
zum ACTU ORATORIO.

Nach der ersten Rede.

Aria.

Bluchzet anerkohrne Söhne/
Die ihr Kunst und Weißheit ehrt ;
Weg / was keusche Freude stöhr,
Groß und kleine sind beflissen/
Diese Künste , die ihr übt/
Mit Gewogenheit zu küssen :
Weil sie überall beliebt.

Nach der zweyten Rede.

Aria.

So manche noch so viel erkennen/
Und wir sie grosse Lichter nennen ;
So ist ihr Wissen dennoch klein,
Die sich von Blinder Thorheit trennen ;
Und gehen diesen Wechsel ein :
Daß sie der Tugend sich verschreiben/
Die werden doch die klügsten bleiben.

B 2

Nach

Sach der dritten Rede.

Duetto.

Suche { immer Tugend } Bande,
 { nimmer Laster }

So wirstu { viel Segen } sehn.
 { kein Unglück }

Die mit Tugend sich verbunden,
Zählen höchst beglückte Stunden/
Welche nie vorüber gehn.

Sach der vierten Rede.

Aria.

Was unsern müden Geist erquicket,
Was nützt und alle Stände schmücket/
Das stehet Groß und Kleinen an,
Jedoch kein Schimmer ist zu finden/
Noch auch ein Kleinod zu ergründen/
Das sich der Tugend gleichen kan.

Sach der fünften Rede.

Aria.

Eine Zunge kan erzählen/
Was der Himmel Gutes schenckt.

Nie

Nie läßt Erß an solchem fehlen/
Was uns nöthig / was erquickt/
Was da nützet und beglückt.

Nach der sechsten Rede.

Aria.

SEr gute Sitten hasset/
Der heiße nicht gelehrt.
Es ist / wer was gelernet,
Von Unart weit entfernt/
Und lebet nimmermehr verkehrt.

Nach der siebenden Rede.

Aria.

Beglückete Stunden! wenn Herzen und Lippen/
Dem Höchsten zu spielen in Andacht entzündt.
Sie können so Kummer als Schmerzen verjagen:
O! möchten doch solche bey tausenden schlagen!
Kommt Zeiten wo ewiges tauchzen sich findt.

Nach der achten Rede.

Aria.

DEr Höchste bleibet voll Erbarmen,
Auch wenn man seine Straff erzwingt: †

B 3

Er

Er füget es, daß selbst sein Plagen/
Das ungerathne Kinder tragen/
Den Menschen manchen Nutzen bringt.

Nach der Unterredung.
Instrumental-Music.

Nach der neunten Rede.

Aria.

Gehets auf der bösen Erden :
Man dencket : solt ich anders werden/
Als der verblichnen Väter Schaar ?
Nein / Nein ! das brächte mir Gefahr.
Im bösen will man **SE** besiegen/
Im guten aber unterliegen/
Und bleibet also wie man war.

Nach der zehenden Rede.

Aria.

Wenn alles blicet / schnaubt und kracht/
So läffet **G**ott nach banger Nacht,
Ein frohes Licht erscheinen.
Drum nur getroßt ! gebeugtes Herz,
Gott weiß und kennet deinen Schmerz :
Ja Er verlässet nie die Seinen.

Nach

Nach der eilften Rede.

Aria.

Das Gute bleibt oft unbekant/
Ihm wird wohl Feindschafft zugewandt/
Man wünscht es nie zu haben,
Jedoch die Zeiten ändern sich:
Da sehnet man sich inniglich
Nach den verscherzten Gaben.

Nach dem Actu Disputatorio.

Die zwerte Aria.

Nach der zwölften Rede.

Tutti.

Gopreiset denn alle mit frohem Gemütbe.
Erhebet des Höchsten unzählige Güte.
So grossen als kleinen
Sol fernerhin scheinen/
Sein freundliches Licht.
Du hörest uns / Vater / wir lassen dich nicht.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section, appearing as bleed-through.

Faint, illegible text in the middle section, appearing as bleed-through.

Faint, illegible text in the lower middle section, appearing as bleed-through.

Faint, illegible text in the lower section, appearing as bleed-through.



1 5. Dez. 1995

78 L 1245



ULB Halle

3

005 611 288







29 3.

DE STVDIIS IN LYCEIS TRACTANDIS
breuis commentatio,
qua ad
ACTVM
ORATORIVM

de
STVDIIS HVMANITATIS,
a XVIII, iuuenibus
in Stephaneo Halberstadiensi
die 18. Decembris. MDCCXXXVIII.
horis matutinis instituendum
REVERENDISSIMOS, PERILLVSTRES atque
GRATIOSISSIMOS PATRONOS,

Reliquosque
MAECENATES, FAVTORES et CVLTORES
bonarum litterarum

quam submississime humanissimeque inuitant
EIVSDEM STEPHANEI
COLLEGAE.



HALBERSTADII, TYPIS FRIDERICIANIS.

